Quelle: https://manuscripta.at/?ID=991
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Quomodo fiet istud: quoniam virum non cognosco. Et respondens angelus dixit ei. Spiritus sanctus superueniet in te: et virtus altissimi obumbrabit tibi. Quapropter et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius dei. Et ecce elyzabeth cognata tua: et ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi que vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud deum omne verbum. Dixit autem maria. Ecce ancilla domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Offertorium. Confortamini et nolite timere ecce deus noster retribuet iudicium ipse veniet et saluos nos faciet.

Accepta sint tibi quesumus domine nostra munera que et expiando nos tua gratia dignos efficiant et ad sempiterna premia perducant. Per dominum nostrum. Contra. Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius emanuel. Postcommunio. Salutaris tui domine munere satiati supplices deprecamur ut cuius letamur gustu redimamur effectu. Per dominum nostrum. Ad vesperum.

Prope est dominus et omnis virtus tua veritas iustitia cognouerunt de testimoniis tuis quia in eternum fundasti eas. Psalmus. Beati immaculati in via qui ambulant in lege domini. Domine in virtute tua letabitur rex. Exurge quesumus domine potentiam tuam et veni ut hi qui in tua pietate confidunt ab omni aduersitate liberentur. Oratio. Deus qui de beate semper virginis gloriosa pietate tua. Ad complendum. Et dicit dominus deus. Egredietur virga de radice yesse: et flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus domini: spiritus sapientie et intellectus. Spiritus consilii et fortitudinis. Spiritus scientie et pietatis et replebit eum spiritus timoris domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit: neque secundum auditum aurium arguet. Sed iudicabit in iustitia pauperes et arguet in equitate pro mansuetis terre. Et percutiet terram virga oris sui: et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius: et fides cinctorium renum eius. Ostende nobis domine misericordiam tuam et salutare tuum da nobis. Benedixisti domine terram tuam auertisti captiuitatem iacob. Sancti